



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

Capvt VII. De Secreto seu Sigillo Confeßionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

erga poenitentem in eius vulneribus medici more perscrutandis, ac medicina adhibenda, tum erga seipsum cautè agendo in iis interrogandis, quæ possent in tentationem adducere incautos.

QVINTO, Secretum, de quo in sequenti Capite agetur.

CAPVT VII. De Secreto seu Sigillo Confessionis.

Quidnam est Sigillum Confessionis?

*Quæstio
I.*

Sigillū Confessionis nihil aliud est, quàm obligatio ita celandi peccata, in Confessione audita, & omnia alia, per quæ potest peccatum, vel peccator deprehendi, siue Sacerdos absoluat, siue non; vt nulli vnquam fas sit, ea manifestare.

Responsio.

Teneturne Sacerdos in omni casu hoc sigillum Confessionis tenere?

*Quæstio
II.*

Omniò tenetur, neque vnquam debet, quocunq; præcepto humano interueniente, eam reuelare; quia peccata aliorū in Confessione percipit, non vt priuata quædā persona, neque vt ipsemet, sed tanquam is, qui

Responsio.

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

qui publico hac in re Ecclesie ministerio fungitur, & veluti DEVS ipse, ea percipit, & intelligit. Non enim vt homo homini, peccator Sacerdoti seipsum cum tanta humilitate, & deiectione in Confessione prostrat, & cuncta tam cordis, quam operis malefacta ei referat; sed ipsemet DEO omnia in Sacerdote percipienti se totum expandit, & reclusis animi visceribus patefacit. Audit igitur DEVS confitentem in Sacerdote, & in eodem Sacerdote ligat, & absoluit confessum. Dicat itaque, vnà cum Esaia Propheeta, Ecclesie; cui officio deseruit minister ipse Sacerdos: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Quia si Cham patri Noë displicuit, quod verenda corporis ipsius non absconderit, sed cum irrisione monstraerit; proptereaque in nepotem maledictionis nota hæreditario quodam iure proiecta est, quantò magis Diuinam incurret iram, qui animorum dedecora occultè sub velo Confessionis audita inuulgauerit? Sacramentum enim Regis Confessio est; at Sacramentum Regis, vt inquit Thobias, abscondi debet.

Esa. 24.

Genes. 9.

Thob. 12.

Questio Quo iure ad tam strictam Secreti observationem in Confessione Sacerdos tenetur?
III.

Responso. Iure naturali, Diuino & humano.

Quomo-

Quomodo naturali iure ad seruandum
secretum Confessionis tenetur
Sacerdos?

Quæstio
IIII.

QVia iure naturæ tenemur proximum nō
infamare, ficut nec illum in bonis ani-
mæ, corporis, aut fortunæ lædere, quem fi-
cut nos ipsos diligere tenemur, & illis velle,
quæ nobis volumus. Quod ius Christus in
Euangelio explicuit, dicens: Quæcunque
vultis, vt faciant vobis homines, hæc illis fa-
cite &c. Constat autem nos velle famam no-
stram per alios non dilacerari, seu denigra-
ri. Igitur neque Sacerdoti licebit contra ius
naturæ alterius reuelare peccata.

Respōsio.

Matth. 7.

SECUNDO præfatam Confessionem
reuelare, est contra fidelitatem, quam serua-
re tenetur is, cui secretum aliquod commis-
sum est, quale ab ipso confitente Sacerdoti
committitur. Hanc autem fidelitatem serua-
re, de iure naturæ est, quod Scriptura sacra
explicat, dicens: Qui ambulat fraudulenter,
reuelat arcana; qui fidelis est, celat amici cō-
missum. Prou. 11.

TERTIO est contra promissionem ta-
cité à Sacerdote factam, de celando secretum
Confessionis: Non enim aliter peccator sua
vitia occulta Sacerdoti panderet, nisi sciret
Sacerdotem ad celandum huiusmodi Con-
fessionem obligari; ac proinde tacité vide-
tur Sacerdos promittere se celaturum: Pro-
missio-

missio-

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

missionem autem adimplere, sicut & iuramentum, de iure naturæ est, ut leges dicunt: Nil, scilicet, esse naturalius, quàm pacta & promissiones hominum seruanda esse. Patet igitur, Confessionem de iure naturæ esse celandam.

Quæstio Quomodo iure Diuino tenetur Sacerdos ad tenendum Secretum Confessionis?

Responso. Quid Confessio de iure Diuino celandam sit, hinc apparet; quia est iure Diuino instituta, & iusta, & per consequens hominibus necessaria; Sed iure Diuino tenemur non dare causam hominibus, vnde Diuina instituta, & præcepta violentur: Hoc enim esset scandalizare proximos, de quo dictum est à Christo: *Qui scandalizat vnum ex pusillis his, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Reuelare autem Confessiones, est dare causam peccatoribus, qui famæ suæ Zelatores sunt, ut non confiteantur, ut patet. Cum igitur hoc Sacramentum relapsis post Baptismum absolute sit necessarium, ne eius vilescat usus, iure ipso Diuino Confessionarius ad sigilli secretum obligatur.*

Tum etiam; quia *DEVS*, qui supremus Iudex est, celat & tegit peccata Sacramentaliter

taliter confessa, pro vt dixit Psalmista: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et iterum in alio Psalmista: Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. Et ipse Dominus per Ezechielem dixit: Quacunq; hora ingemuerit peccator, non recordabor amplius peccatorum suorum. Quæ autem DEVS tegit, delegatus suus, scilicet Sacerdos, detegere non potest; aliõ qui vices, & potestatem delegati videretur excedere.

Psal. 31.

Præterea ea, quæ in Sacramentis exterius geruntur, signa rerum sunt, quæ interiùs fiunt: Illud ergo, quod interiùs poenitens se Sacerdoti subdit, signum subiectionis est, quâ interiùs se subiicit DEO, ac proinde Absolutio Sacerdotis est signum Absolutionis DEI, quâ peccata veluti obliuioni tradita, sic contegit, iuxta illud Psalmi: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Cogitur ergo Sacerdos eadem figilli consignatione habere contecta, & oblita, quâ DEVS.

Psal. 15.

Ezech. 18.

Vbinam ius Diuinum Secreti in Confessione scriptum legitur?

Eodem planè loco, vbi occultorum Confessio iubetur, vnde hæc necessitas secreti per consequentiã deducitur. Apud omnes sapientes enim indubitatum est, ex necessitate finis deriuari necessitatẽ ad mediõrum: Et vt exemplo

Psal. 31.

Questio VI.

Responso.

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

exemplo dato, rem clariorem faciamus, si vivere necessarium est, & id sine cibo seruire non possumus, fit vt & cibus ipse sit necessarius: Pari ergo ratione, quia confiteri occulta scelera, idque ceu commune bonum Ecclesiae, necessarium est, id quod sine confessionatione sigilli secreti referuari non potest; fit vt sigillum ipsum sit penitus necessarium.

Quaestio Quomodo iure humano Sacerdos tenetur ad tenendum Secretum Confessionis?
VII.

Responso. QVOD de iure humano celanda sit Confessio, apertum est ex Cap. Omnis vtriusque sexus, vbi contra Confessionarium, confessionem verbo, aut signo, prodente, graues poenae imponuntur, scilicet, quod deponatur, & perpetuam agat intra monasterium poenitentiam: Similiter de Poenitentia dist. 6. cap. Sacerdos, idem districtè precipitur, vt scilicet nec pro scandalo vitando possit Confessor vlllo modo Confessionem sub grauibus poenis, ibidem contentis, detegere.

Quaestio An non licet Confessionem reuelare, cum celatio ipsius in praediciuum communicantis caedit?
VIII.

Neque

Neque ad seruandam salutem totius Reipub. siue temporalem, siue spirituales, neque ob vllum, qui fingi posset, euentum, licet sigilli Confessionis aperire: Nam quocumque casu aut causa rumperetur, Confessio in suspicionem veniret, quod posset reuelari, & inde homines ab illius religione arcerentur, atque adeo Sacramentum periret, quod Ecclesiae est necessarium. Hinc fit, quod, licet Sacerdos per Confessionem intelligat nefandissimam coniurationem aliquam in Reipub. vel haeresin inferpere; neququam tamen illi fas sit, malo huic, per reuelationem Confessionis, occurrere; Ita vt persona per Confessionem innotescat.

Neque vllius est valoris consequentia; Sacerdos in casu tenetur interitum spirituales, aut corporalem communitatis ex praeccepto, & lege naturae impedire: Cum vero aliter, nisi reuelatione Confessionis nequeat; teneri eum vt reuelet, praesertim cum praecceptum celandi Confessionem pro charitate sit institutum: Quae autem pro charitate singulorum instituta sunt, non debere contra charitatem boni publici militare. Haec, inquam, consequentia non valet; quemadmodum & Decretum Symachi distinct. 83. mortem languentibus videtur infligere, qui hanc, cum potest, non excludit; nequaquam probat in casu damnum & interitum Reipub. Confessori sigilli Confessionis religiosè seruanti.

M uanti.

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

uanti, iure merito imputari posse, quasi, cum obuiare posset ei, non obuiet: Alia enim est tunc prudentia utendum; ut scilicet Sacerdos, quam potest vrgentissimè confitentem admoneat, ut reuelet, nec absoluat eum, si fortè nihil obtinere queat.

Sed & generalibus verbis eos, quibus periculum creatur, admonere potest, ut sibi prospiciant, & pericula imminencia caueant; qua quidem via damno publico obuiare poterit, & tenebitur etiam, si potest, non tamè aperiendo Confessionem; etiam si aliter obuiare non possit; quia nemo tenetur bonum publicum procurare, aut damnum publicum impedire per media illicita, ut per mendacium, aut per fornicationem, aut aliud huiusmodi: tale est reuelare Confessionem, quod semper illicitum est: Non enim sunt agenda mala, ut eueniant bona, nec ut maiora uidentur mala.

Et quod dicitur; mortem languentibus infligit, qui hanc, cum potest, non excludit, procedit, quando potest, de iure eam excludere, quod in praesenti locum non habet.

Et quod dicitur, quod celare Confessionem in casu militat contra charitatē; dicendum, non ita esse; imò potius esset contra charitatem, eam proderet posse, cum inde sequatur communis animarū iactura & interitus. Et ita celatio Confessionis non in quorundam salutē est instituta, sed in comunem totius Ecclesiae utilitatem.

Licet;

*Licetne Confessionem reuelare, cum
relatio ipsius in magnum Tertij
præiudicium cedit?*

*Questio
IX.*

DVbium non est, relationem Confessionis *Respositio*
aliquando in maximum alterius Tertij
præiudicium cedere, vt si confitens infama-
uit Petrum, illi falsum crimen imponendo,
propter quod Petrus est ad mortem con-
demnatus. In tali casu, si confitens crimen
suum non prodat, puta, se falsè testificatum
esse contra Petrum, videtur quod Confessor
poterit hoc ipsum publicare; quia licitum est
palio facere, quod ille alius facere debuisset.

Vt si diues non vult patienti extremam
necessitatem succurrere, possum ego de bo-
nis diuitis tali pauperi subuenire, si aliter
non possum; quia id facio, quod ille diues
facere debuisset.

Et si sim intra onustam nauim tempore
tempestatis, & Dominus mercium non vult
eas in mare proiicere, cum necessarium sit,
ego potero eas proiicere, etiam eo inuito, nec
illi aliquam infero iniuriam, quia id facio,
quod ipse facere debuisset.

Cum igitur hoc in casu ille cōfitens debe-
ret suū crimen prodere; tūm vt Petro suā re-
stituat famā, quem tam iniustè damnauerat,
tūm etiam, vt eum à morte eruat iniusta, cui
ipse confitens causam declarat, & id nō velit

M 2 confi-

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

confitens facere, videtur sequi, quod id ipsum poterit facere Confessor pro confitente.

Verum, fundamentum huius rationis falsum est, si vniuersaliter accipiatur, scilicet, quod vnicuique licitum est pro alio facere, quod ille alius facere debuisset.

Patet, si vxore petente à viro debitum, vir ille non reddat, non idè erit licitum alteri in aliena vxore facere, quod maritus facere debuisset.

Similiter, si latro, aut homicida est iustus ad mortem condemnatus, non erit licitum personæ priuatæ latronem illum à carcere fugiètem suspendere, quod Iudex facere debuisset.

Nec, si debitor nolit soluere debitum creditori, cum possit, erit mihi licitum sine consensu illius, bona debitoris accipere, & creditori soluere, quod ipse debitor facere debuisset. Nec, si ego debeo Petro decem, qui Ciceroni totidem debet, potero sine consensu Petri, illa decem, quæ Petro debeo, soluere Ciceroni, quod Petrus facere debuisset.

Et ita patet, rationem factam falso inniti fundamento; maximè in casu, quo aliquid dicere aut facere, vni homini licitum est, alteri verò illicitum; vt accedere ad foeminam, suo viro licitum est, non autem alieno.

Suspendere criminofum, & morte dignum, licitum est publicam autoritatem habenti, non alij.

Rs

Res alienas, aut alteri debitas distrahere, licitum est Domino earum, non alij.

Ita igitur in proposito, prodere crimen falsi testimonij, licitum est ei, qui falsum imposuit crimen, nō Confessori, qui sola via Cōfessionis illud scit, vt patet ex dictis.

Nec valent exempla de eo, qui de bonis alterius succurrit pauperi; & q̄ merces alienas in mare proiicit, & familia, quia tunc necessitas succurrendi excusat; non hoc, quod est, alium idipsum facere debuisse.

Si obiicias, quòd simili modo in præsenti casu posset excusari Sacerdos reuelans Confessionem, vt saluet innocentem à morte iniusta, quia id necessitate facit, non voluntate. Dicendum negando consequentiam; nec est simile; quia in aliis casibus vbi necessitas excusat eum, qui rem alienā contrectat, non interuenit alia iactura, quàm rerum temporalium, quæ postponendæ & exponendæ sunt pro vita fratris. In præsenti verò casu ex reuelatione Cōfessionis, alia lōgè maior, quàm fit fame & rerum temporalium iactura emergit, scilicet, contemptus vniuersalis, vel vt plurimum integræ Confessionis; ideò præfata necessitas saluandi vitam innocentis, non excusat reuelantem Confessionem.

Hinc fit, quòd, licet Sacerdos videat personam innocentissimam, eademq; & dignitate & autoritate maximam, in supplicium capitis rapi, sitq; certissimus per Confessio-

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

nem malefactoris quam audiuit, illum esse innocentem, posseque eum facillimè detecta Confessione liberare, neutiquam illi fas est, quamuis ipse, qui in supplicium rapitur, esset idē Sacerdos, qui illa se posset via protegere,

Quaestio X. Potēstne reuelari Confessio, cū celatio ipsius in damnum corporis vel animæ confitentis cedit?

Respōsio. Quoniam pro saluanda tota Repub. non est licitum reuelare Cōfessionem, à fortiori, non erit licitum eam reuelare pro saluanda vita vnius hominis, siue corporali siue spiritali.

Quaestio XI. An non licet reuelare Confessionem, cū celatio ipsius cedit in damnum animæ ipsius Confessoris?

Respōsio. EXEMPLO dato, quaestio illa illustrabitur. Est aliquis Confessor in testem productus, & à Iudice suo iureiurando astrictus ut respondeat ad ea, super quibus fuerit interrogatus &c. quo iurante, interrogat eum Iudex super casu quodā, quem tamen per solā Confessionem scit ipse Cōfessor; tunc tenetur respondere, quia iurauit, & non potest deponere falsitatem, quia peccaret mortaliter: Igitur debet deponere veritatem; hanc autem non potest deponere, nisi reuelando Confessionem: Vnde consequi videtur, quòd
eam

eam reuelare debeat, cum aliàs celatio ipsius, ipsi Confessori, quia scilicet periurus esset, & in detrimentum animæ cæderet.

Verùm facillè hæc diluentur, & qui he-
dupliciter.

PRIMO, talis Sacerdos potest iurare, se nil de casu illo scire, cum illū sciat vt DEVS, & non vt homo: Nam in audiendo Confessionem tenet vicem DEI. Poterit igitur sine mēdacio in foro hominū dicere se nescire id, quod in persona alterius aliū qui scit; sicut econtrā potest aliquis in persona alterius aliquid de se affirmare, quod in persona propria loquens falsè affirmaretur; vt quando Angelus ad Moysen loquēs, dicebat in per-
sona DEI: Ego sum Dominus DEVS tuus. Et iterum: Ego sum DEVS Patris tui Abraham, Isaac, & Iacob. Quæ constat ab Angelo esse dicta; sed in persona DEI, vt dixit Stephanus, & habetur in Actibus Apostolorū, & Paulus in Epistola ad Hebræos.

Exod. 3.

Act. 7.
Hebr. 2.

SECUNDO, Confessarius in tali casu dicere potest se nihil scire, idq; sine mēdacio; quia illa verba admittunt hunc sensum, scilicet, nil scio, super hoc ad reuelandum vobis, pro vt Augustinus interpretatur, quod Christus de seipso dixit, scilicet: Filius nescit diem iudicij, scilicet, ad reuelandum hominibus.

Marc. 13.

Aut sic interpretatur, scilicet, Nihil scio de hoc, super quo intendis me rogare. Et

re. Et

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

re. Et verè respondet sicut debet, quia debet responderi ad mentem interrogantis; mens autem interrogantis hæc debet esse, scilicet, quæ querere de his, quæ in foro illo tractanda sunt, & quorum cognitio ad potestatem ipsius Iudicis pertinet. Modò autem, quæ in sola Confessione scita sunt, non sunt de his, quæ ad potestatem humani Iudicis pertinent, ut constat; quia ad illud forum non pertinent, nisi quæ aliòqui possunt in illo foro probari, & quorum testificatio, seu depositio possunt ad illud forum deferri, qualia non sunt, quæ in sola Confessione sciuntur.

Quòd, si mens Iudicis fit interrogare Sacerdotem, si sciat de casu proposito aliquid, etiam per Confessionem, iam excedit potestatem sibi concessam, & non oportet ad mentem illius, quam habet, respondere, sed ad mentem, quam debet habere.

Quæstio XII. Tenetürne Sacerdos mortem potius oppetere, quàm ut Secretum Confessionis reuelet?

Respöcio. SI tyrannus aliquis gladio ad iugulum appposito Secretum Confessionis à Sacerdote extorquere conaretur; non tamen hoc illi, etiam ad seruandam propriam vitam, detegere liceret, cum pro seruando Sacramento in Ecclesia, Sacerdotale officium, Sacerdotem obliget millies mortem oppetere. Neq; id so-

id solum locum habet in Sacramento Confessionis: Sed etiam multò maximè in Sacramento Eucharistiæ. Nam & ibi libentiùs sanguis fundendus est, quàm vt vel blasphema vox contra illam edatur, aut aliqua irreuerentia ei irrogetur:

Hoc adeò verum est, vt quidam Theologi de Sacerdote exemplum ponant, qui iterum latronibus faciens, in ingressu nemoris per Confessionem vnus intelligit se ab altero esse in nemore occidendù: Quem quidem Sacerdotem potiùs, aiunt, debere expectare mortem, & vtrò exponere se martyrio pro lege DEI seruanda, quæ strictissimè iubet Confessionem celare, quàm per fugam Confessionem reuelare. Idq; profectò verum est, vbi necessitas daretur aut reuelandi Confessionem, aut moriendi; sed tamen in eiusmodi euentibus vix accidere potest, quin prudenter valeat Sacerdos vtrunq; per aliquam fictam causam euitare.

*Cum ab impletione aliorum multorum
DEI Præceptorum certis de causis
homo sæpè excusetur, cur non etiam ex
causis magni momenti licet Sigillum
Confessionis frangere?*

*Quæstia
XIII.*

*Sunt quidem alia multa præcepta Diuina,
etiam de Sacramentis, à quibus implendis*

Responſio.

M 5 homo

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

homo propter graues causas aliquas excusatur: Nemo enim tenetur cum periculo vitæ suæ confiteri, vel Eucharistiam sumere, imò nec Baptismum.

Verùm distinguere hîc & scire oportet, quòd præcepta affirmatiua, licet nonnunquã ad cauendum huiusmodi pericula præterire, quia non obligant pro semper; negatiua verò, quia pro semper & sine intermissione obligant, nullo casu transgredi licet.

Est præceptum: Non occides; nullam ergo ob causam autoritate priuata licet hominem sponte occidere, nisi dum se quispiã coactus defendit. Est etiã præceptum ne vlla Sacramento irrogetur iniuria; nulla ergo de causâ fas est sacrosanctam Eucharistiam aut conspuere, aut pedibus proculcare.

Pari modo in sigillo Confessionis est præceptum negatiuum, ne reueletur tanquam res sacra, quocirca nulla de causâ illud vquam fas est reuelare.

*Questio Solane peccata confessa, an verò etiam
XIII. reliqua omnia, quamuis non peccata
in Confessione audita, ta-
cenda sunt?*

Respõsio. ILLA omnia necessariò celanda sunt, per quorum detectionem redderetur onerosa, seu odiosa ipsa Confessio; & quia ex reuelatione peccatorum & circumstantiarum, &
com-

complicū redderetur odiosa Confessio; ideo omnia illa cadunt sub sigillo Confessionis.

Quamuis enim directè sola ipsamet peccata sint sigillo Secreti occultanda, nihilominus indirectè res aliæ, quæ non sunt peccata, ex quarum manifestatione posset veniri in notitiam peccati, aut peccatoris, cadunt etiam sub sigillo eodem. Vt si quis, dum homicidium confitetur, narrat quemadmodum Faber gladium rei inscius ei vèdiderit; vel si narrat quemadmodum amicus crimen ei diffuaserit: Illa enim licet in illis personis non sint peccata: Possent tamen, si detegerentur, vestigium aperire explorandi peccatum vel personam.

Eodem modo si Confessarius diceret, Petrus fuit tali hora in tali loco, posset enim tunc Petrus in suspicionem venire homicidij, quod illic fuerat perpetratum.

Reliqua verò quæ ad peccata nihil pertinent, non comprehenduntur sub sigillo.

Quamuis neque de re vlla per Confessionem audita, debeat Sacerdos, vnquam vel mutire; præsertim dum circumstantes possent intelligere, in Confessione fuisse audita; quoniam statim pertimescunt, non esse tam sanctè recondita quæ illic dicuntur.

Debet ergo iudicium illud esse velut sacrarium quoddam, ab humana conuersatione longè semotum.

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

Quaestio Caduntne sub sigillo Confessionis etiã
XV. peccata committenda, quae peccator
confitetur, sicut commissa?

Responsio. SUB sigillo Confessionis cadunt non solum commissa, sed committenda confessã; quia cum ad integritatem Confessionis pertineat, confiteri non solum quae praeterierunt, sed etiam propositum habitum ea postmodum perpetrandi, si esset Sacerdoti concessã facultas huiusmodi proposita reuelandi; nõ dubium, quin daretur occasio, vt vel Confessio omittatur, vel saltem diuidatur: Timetiam, quia etsi talia peccata sint postea actu committenda; iam tamen sunt in voluntate commissa. Igitur celanda sunt, sicut & reliqua commissa seu praeterita.

Quaestio Dic breuiter omnia, quae sub taciturnitatis obligatione continentur?
XVI.

Responsio. AD hoc Secreti sigillum PRIMO omnia pertinent omnia poenitentis peccata tam mortalia, quam venialia, licet modo diuerso. Mortalia enim tam in genere, quam in specie ad sigillum Confessionis pertinent: Venialia verò peccata tantum in specie ad sigillum Confessionis pertinent; vnde nunquam licet Sacerdoti dicere, talem poenitentem tale vitium veniale confessum esse.

SECUN-

SECUNDO, ad figillum pertinent omnes peccatorum circumstantiæ, quæ necessariae sunt ad Confessionis integritatem.

TERTIO, omnes casus reservati, tam in genere, quàm in specie. Quia quicquid reservatur, propter aliquod mortale reservatur; Vnde qui dicit talem poenitentem confessum esse aliquem casum reservatum; licet casum non nominaverit: nihilominus violat figillum Confessionis.

QUARTO, omnes defectus poenitentis, & negotia quæcunque, ad eius famam vel infamiam pertinent: utpote, quòd fit servus. quòd illegitimus, quòd ære alieno grauiatus, aut quæcunque alia, ex quibus manifestatis, diminui posset opinio apud homines de illo concepta.

Cùm in multis casibus liceat, homines à Confessione reuocare; an non licet quocunque Confessionem eo ipso fine reuelare, ut scilicet hac occasione homines à Confessione reuocentur?

Questio
XVII.

Licet quidem aliquando reuocare homines à Confessione facienda, non solum extra tempus ab Ecclesia statutum, sed etiã in ipso tempore, scilicet in Quadragesima; imò & in tẽpore, quo est homo positus in articulo mortis; ut si necessitas cõpellat pugnare pro

Respõsio.

M 7 Reipub.

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

Reipub. defensione, aut nauim dirigere, & exonerare pro salute eorū, qui in ea existunt, & in aliis similibus suadendū est, vt illo tempore homines à Confessione cessent, si quædam ad vitam necessaria, per Confessionem illam impediuntur.

Verū scire oportet, quòd non solūm necessarium est, Confessionē celare propter necessitatem confitendi; verumetiam propter naturam secreti, quod taciturnitatē flagitat. Nam ad cōmittendū alteri secretum nudū, nulla cōpellit necessitas; si tamen alicui cōmittatur, necessarium est ei, cui tale secretum commissum est, illud celare, & non detegere. Ita, etsi sæpe homines voluntariè confiteantur absq; aliqua necessitate; est tamen necessarium Confessori ipsam Confessionem celare, idq; multò strictiùs, quàm si esset secretum nudum Confessori commissum.

Vnde, etsi omnino esset sublata necessitas vocaliter cōfitendi; supposita tamen utilitate ipsius Confessionis, adhuc esset necessariò celanda Confessio. Quia non solūm illicitum est per Cōfessionis reuelationem dare occasionē hominibus, vt à Confessionibus eisdē necessariis abstineant: sed etiam, vt Cōfessionem, quæ tam saluberrimum remediū est ad curanda commissa, & præseruandum à recidiua, homines abhorreant, etiā eo tempore, quo Confessio utilissima hominibus foret.

Quoniam

*Quenam est poena reuelantis Con-
fessionem?*

*Questio
XVIII.*

Responſio.

POENA reuelantis Confessionem, secundum antiqua iura, ut habetur in Cap. Si Sacerdos, de Poenitentia, Dist. 6. est depofitio, & per totam vitam ignominiosa peregrinatio; sed secundum Decretalem, Omnis vtriusque sexus § Caueat, est depofitio, & detrusio in monasterium, ad perpetuam agendam poenitentiam in officiis seruilibus monasterij, habitu laico.

*Quidnam Sacerdos respondere debet in-
terroganti, an quippiam audiuerit
aliqua de re in Confessione?*

*Questio
XIX.*

Responſio.

SI Iudex Christianus huiusmodi aliquid interrogauerit, respondendum, tales interrogationes esse sacrilegas, & indignas Principe Christiano.

Sin autem non Christianus, sed infidelis tale quid petierit, respondendum est; leges Christianorum non pati, ut quicquam dicatur extra Confessionem. Et quae diximus de Confessario interrogato; eadem suo modo intelligenda sunt de poenitente, seu confitente, simili modo interrogato: Sed si huiusmodi responſione non fuerint contenti; potius moriendum est, quam Confessionis sigillum violandum.

Potestne

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

Quæstio Potestne Papa cum Confessore dispensare, ut reuelet Confessionem?
XX.

Respōsio. **M**inimè, idque probatur **PRIMO**, quia Papa non potest dissoluere, quod iure necessario & Diuino est institutū, quale est, Confessionem in omni euentu celare. Id patet; quia, ut ait Paulus: Non est data potestas Papæ ad destructionem, sed ad ædificationem; Et quod à **D E O** est institutum, per homines dissolui non debet. Vnde & **Vrbanus** Papa dixit, Diuina mandata, seu instituta vsq; ad sanguinem esse defendenda, & nō violanda. Constat autem Confessionem omni iure esse celandam.

1. Cor. 10.

SECUNDO, non potest Papa dispensare in præcepto de Baptismo, aut de Confessione facienda, saltem tempore necessitatis, quādo de iure Diuino tenetur homo cōfiteri: Igitur nec potest dispensare in præcepto de celandā Confessione. Consequentiā patet à minori, quia maior est obligatio celandi Confessionem, quā sit obligatio cōfitendi, ut ex sæpe dictis patet.

TERTIO, non potest Papa dispensare in præcepto de vitando scandalo: Igitur nec in præcepto celandi Confessionem. Nam non minus, imò maius est vinculum celandi Confessionem, quā sit vinculum vitandi scandalum, & pro ut colligitur ex Cap. Sacerdotes,

cerdotes. De Pœnitentia, Dist. 6. vbi dicitur: quòd nullo vnquam tempore, aut casu licitū est Confessionem detegere, etiam pro vitādo scandalo. Qui autem non potest id, quod minus est, nec poterit id, quod maius est, iuxta regulam iuris. Si vinco vincentem te, à fortiori, vincam te.

Nunquid Sancti Patres, & veteres Doctores, hoc Confessionis Secretum etiam docuerunt?

Questio XXI.

MAximè: Et ne cuiquam ea de re dubium ullum esse possit, testimonia quædam eorum proferemus.

Responsio.

De S. Ambrosio Paulinus eius discipulus ita scribit: Erat gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus. Siquidē quotiescunq; illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret: Videbatur enim sibi cum iacente, iacere. Causas autem criminū, quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, vt intercessores apud DEVM sint magis, quàm accusatores apud homines.

Pauli. Nolæ Episc. in vita D. Ambrosij.

Augustinus eodem sensu, quia & eodem spiritu ita scribit: Si transgredimur in aliquo peccato post Baptismum, id est, fontem lacrymarum.

Aug. ad Iulianū. Comit. Epist. 111.

chryma-

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

chrymarum, ordinauit nobis poenitentiam propter fragilitatē nostram; ideo debemus nostras Confessiones veraciter confiteri, & fructus dignos facere, id est, præterita ne iteremus, secundū iussione D E V M timentis Sacerdotis; qui Sacerdos, vt sapiens, & medicus, primū sciat curare peccata sua, & postea aliena vulnera detergere, & sanare, & non publicare. Nos sequamur, perquiramus, et cum talibus consiliū salutis nostrę ineamus, vt non perdamus hæreditatem cœlestē, quam nobis Dominus ab initio mundi præparauit.

Sozom. lib. 9. hist. tripart. ca. 35. Item Sozomenus, dum scribit de Presbytero super poenitentes ad audiendas Confessiones, & imponendas poenitentias, præposito, ait. Ad hanc rem Presbyterū bonæ cōuersationis, seruantemq; Secretum, ac sapientem virū statuerunt. Vnde, & ex plurimis aliis testimoniis, quæ breuitatis studio non commemoro, liquidò cōstat, non nuper natam, sed antiquissimam esse hanc Ecclesiasticam consuetudinem, tegendi ea, quæ in Confessione dicta sunt.

Questio
XXII.

Quidnam & quantum potest Sacerdos propria auctoritate ex Confessione reuelare?

Responso. PRIMVM, licitum est, iustam ob causam in publico, vel aliàs, reuelare Confessionē, id est,

id est, peccata in Confessione scita prodere, non prodendo personam directè, vel indirectè, ubi & quando nullum subsequatur scandalum: Vt si Confessor cōmunicat alicui casum, quem in Confessione cognouit, ad finē sciendi, an sit reseruatus, vel non; an sit mortale, vel non; & quæ pro illo fit poenitentia imponenda.

Aut si Prædicator dicat in genere peccata talia, vel talia committi, ad finem notificandi audientibus, opus illud vetitū esse, & perniciosum, & ab hominibus vitandum.

SECUNDO, licitum est reuelare, hoc est, in publico, vel oculto dicere in genere, ille confessus est peccata sua, etiam personam seu confitentem exprimendo. Vt, si Confessor dicat de Petro: Petrus confessus est peccata sua; quia dicendo, nec Petrum infamat, nec Cōfessionem odiosam facit, cū omnes sciant, neminē confiteri debere, nisi peccata, quodq; non est, qui à peccatis sit prorsus immunis; Non enim est homo, qui non peccet. 3. Reg. 8. Et si dixerimus, quia peccatū non habemus, 1. Ioan. 1. nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est, vt ait D. Ioannes.

Inde patet, esse licitum Confessori dicere de Petro: Petrus confessus est sua peccata venialia, modò per hoc non significet Petrum Confessionem mortalium omisisse.

TERTIO, Licitum est Confessori in particulari peccatum, & simul personam cōfitentem

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

fitentem dicere; si peccatum tale aliòqui publicum est, & omnibus notum. Vt si dicat de publica meretrice, quòd cõfessã est turpitudinẽ suam, & de publico homicida, quòd confessus est homicidium. In quo duo significat Confessor, scilicet, Petrum esse confessum, &, Petrum esse homicidam. Et primũ est occultum, cuius reuelatio cedit in laudẽ ipsius confitentis. Secundum est publicum, etiam ante Confessionem auditam. Idèd per hoc non dicitur Confessor reuelare Confessionem; quia non dicitur reuelari, nisi quod prius occultum erat, quod in eo casu non accidit. Huius dicti ratio aperta est, quia tale dictum Confessoris, nec est infamatum confitentis, nec reddit Confessionem odiosam.

Si tamen inde timetur scandalum, tenebitur Cõfessor filere; quòd quia, vt plurimum timetur ex similibus dictis, fatius est tacere, nisi fortè aliqua necessitas cogat.

QVARTO, in Concionibus, aut publicis Academiae lectionibus, licet peccata taxare, & reprehendere, quæ in Confessionibus audiuntur: Tametsi imprudentia esset, & scandalum dicere, talia in Confessionibus esse audita. Et præterea cauendũ, ne in præsentia eorum prædicentur, qui illa confessi sunt: Contremiscerẽt enim metuentes, suas Confessiones in publicum prodi.

Licetne

Licetne Sacerdoti ex licentia confitentis reuelare Confessionem?

*Quaestio
XXIII.*

Sacerdos de expressa licentia confitentis potest Confessionem reuelare aliquot de causis.

Responsio.

PRIMO, quia in tali casu cessat obligatio celandi Confessionem: Nam cessat ratio fundamētalis praefatae obligationis, quae erat, ne ex reuelatione Confessionis reddatur odiosa, & nimis onerosa ipsa Confessio; sed ubi constat Confessorem reuelare Confessionem expressa licentia confitentis, non idem fit odiosa Confessio ei, qui licentiam propria voluntate dedit, nec aliis, quibus sua relinquatur libertas negandi licentiam praefatam, & concedendi, si velint. Igitur cessat hoc in casu obligationis ratio; & per consequens cessat ipsa obligatio celandi Confessionem; quia cessante causa, cessat etiam effectus. Et ratio legis, est anima legis.

SECUNDO, vnusquisque potest cedere iuri suo absque prauiudicio Tertij; quando ius illud in fauorem ipsius cedentis est constitutum: Sed celatio Confessionis est induta in fauorem confitentis directè, & non in fauorem ordinis, status, officij, aut dignitatis; cum huiusmodi ius se extendat ad omnes peccatores, qui nec in ordine, nec in officio, aut dignitate aliqua sunt constituti, vt constat, ac proinde in fauorem personae con-

fiten-

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

fitentis est institutum, & ita potest quilibet confitens iure suo cedere.

TERTIO, quia id potest quis per alium facere, quod per se facere potest, cum causa iuxta id postulauerit; sed confitens potest suum crimine occultum ob causam per ipsum prodere; imò non solum potest, sed debet aliquando, ut si homicidium perpetravit, de quo non est accusatus, nec infamatus; sed alius innocens, & homicida probatus, licet falso ducitur ad crucem, seu gladium, id sciens verus homicida, potest, & debet se prodere, ut innocentem illum à morte iniusta eripiat, prout scriptum est: Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Igitur in simili casu, poterit suum crimen, per Confessarium prodere.

Prou. 24.

QUARTO, quia, si quis Secretum nuptum commisit amico, iure naturali & Divino tenetur illud celare, ubi necessitas revelandi non cogat ad oppositum; & tamen permittum committentis sufficit, ut aliis, quibus ipsis placet, revelet. Igitur pari forma indulgentia confitentis sufficiet, ut Confessarius ob causam, secretum Confessionis revelet.

Questio XXIII. *Sufficitne consensus quilibet confitentis ad revelandam Confessionem?*

Responsio. **NON** qualiscunque consensus confitentis sufficit, ut Sacerdos possit Confessionem revelare, nisi constet sufficienter de his, coram quibus huiusmodi Confessio fit revelanda.
Nam

Nam per hoc tollitur scandalum, & odium Confessionis. Ideoque quando Sacerdos ex permissione confitentis prodit Confessionem, opus est, ad vitandum scandalum, dicere, & ostendere, se Confessionem illam reuelare ex consensu expresso confitentis.

SECUNDO, requiritur, vt detur potestas manifestandi propter aliquod notabile bonum procurandum, vel malum euitandum, quod præponderet famæ confitentis; aliò qui nec permittendum est Sacerdoti, nec ei facta potestate integrum est vti.

TERTIO, non sufficit consensus præsumptus, nisi sit expressus, & actu concessus; aliò qui reuelans Confessionem ex sola licentia præsumpta, non minùs facit Confessionem odiosam, quàm si absq; vlla licentia eam reuelaret.

Quare licentia confitentis sufficit ad reuelationem Confessionis?

Questio XXV.

Responsio

Licentia confitentis sufficit, vt Sacerdos queat reuelare Confessionem, non obstante præcepto naturali & Diuino, de seruando huiusmodi secretum; quia data licentia prædicta, iam definit esse materia secreti. Nam, vt creditor, quando prorogat debitori terminum solutionis, vltra terminum per iuramentum præfixum, solutio in termino desinit esse materia iuramenti; ita etiam permissio

Caput VII. De Secretis seu Sigillo

missio reuelandi Secretū, facit, vt desinat esse materia Secreti.

Questio
XXVI.

Potēstne Sacerdos peccatum, quod quidem ex Confessione, sed tamen etiam alia via ante vel post Confessionē scit, ob causas certas, & sine licentia confitentis reuelare?

Responſio. Quando necessitas aut utilitas postulauerit, poterit Confessarius manifestare peccatum in Confessione cognitum, vna cū persona, si alia via illud cognouerit. Probatur, quia Confessor, extra Confessionem sciens crimen alicuius, si producat in reſtem, aut à Iudice inquiratur, est obligatus ob publicam iustitiam dicere quod sciuerit. Igitur, si illud ipsum quoque sciat per Confessionem Sacramentalem, siue subsequentem, siue præcedentem facti cognitionem, non minùs tenebitur à Iudice inquisitus, aut in reſtem productus illud manifestare; alioquin Confessio esset vinculum iniquitatis, & impediendæ publicæ iustitiæ causa.

SECUNDO, quia fraus & dolus nemini debet patrocinari; patrocinaretur autem, si prior sententia esset vera. Patet, quia, si latro coram Sacerdote calicem, aut rem aliam furetur, sciens, quòd, si illi Sacerdoti confiteatur, non poterit super illo testificari, seu denun-

denuntiare adibit illico ad Sacerdotem eundem, & cōfitebitur illi furtū illud, iam fraus & dolus latronis illi patrocinetur.

TERTIO, quia opposito dato, sequitur aliquod absurdum, scilicet, quòd Prælatus, cui incumbit super adulterio, vsura, aut concubinato cognoscere, & illud in foro exteriori iudicare & punire, quòd non posset aliquem talem criminofum per testes, omni exceptione maiores, probatum talem iudicare, & sententiam cōtra eum ferre, supposito, quòd ille Prælatus per Cōfessionem Sacramentalem ab illo criminoso factam, cognouerit eius crimen, de quo est in Iudicio conuictus. Patet sequela; quia in sententia contra illum ferenda debet declarare, illum esse tali crimine irretitum.

QUARTO, sequitur alia absurditas, quòd, si Sacerdos vidit Petrum in loco profano fornicantem, de quo Petrus confitetur eidem Sacerdoti, quòd Sacerdos videns Petrum ab aliis accusari, quòd in loco sacro fornicationem commiserit, nō potest Sacerdos in excusationem illius dicere, quòd nō in loco sacro; sed in profano est fornicatus, ipso Sacerdote vidente. Potest igitur, & aliquādo debet Confessor crimen, per Confessionem scitum, prodere, si per aliam viam extra Confessionem illud cognouit.

Pro vitando tamen scandalo debet, quando id reuelauerit, dicere modum, quo illud

N sciatur,

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

sciat, scilicet, quia vidit illud perpetrari; caueat tamen, ne dicat, se illud scire per Confessionem; quia hoc dicere non poterit sine reuelatione Confessionis: Habet enim Sacerdos in casu cognitionē illius facti duplicem: Alteram, per viam Confessionis, & ex hac notitia nil potest dicere, vt patet: Alteram, per euidentiā facti, vel aliquorum relationem, & ex hac via licitū est, peccatū illud ob iustam causam manifestare; ita tamen, vt cautē loquatur siue in iudicio, siue extrā, ne inde aliqui scandalizētur, & suspicentur illū aliena peccata per Confessionē cognouisse, scientes illum ex officio esse Confessorem.

Ideò, nisi necessitas postulet, filere debent aliena peccata; & si necessitas ea prodere cogat, causam & notitiam extra Confessionē habitam reddant.

Questio
XXVII.

Solusne Sacerdos, cui facta est Confessio, an etiam alij audientes, tenentur eam celare?

Responſio.

Non solus Sacerdos, cui facta est Confessio, sed quicumque alius, qui eam licitē, vel illicitē audiuit: Vt si quis fortē confiteatur per interpretem; aut si laicus fingit se Sacerdotē esse, aut dolo, seu ex proposito, aut à casu audit Confessionem, quæ Confessario fit, omnes tales tenentur illam celare, sicut & illi, qui alicuius Confessionem inveniunt in scriptis.

PQ.

POSTREMO, omnes Prælati & Superiores, à quibus pœnitēs, vel per se, vel per alium facultatē petit confitendi inferiori in casu referuato. Nō licet enim illis manifestare, alij talem aliquē casum referuatū. Omnes autem isti sub peccato mortali ad sigillū obligantur; sed non eodem modo. Laici enim in prædictis casibus reuelantes Confessionē, quamuis mortaliter peccent; nō sunt tamen habendi sacrilegi, nec incurrūt pœnas: Sacerdotes autem reuelantes Confessiones, quas audiunt, & sacrilegi sunt, & pœnas, contra reuelatores, à iure statutas, incurrunt.

Ratio cōstat; quia omnes illi tenētur Confessionem celare, per quorum detectionem redderetur odiosa, et ab ea homines retraherentur; sed si pœnitentes scirent aliquos tales posse licitē Confessionem reuelare, cūm sciat posse de facto multos ipsum confitentē audire, id timentes, nō ita auderēt confiteri.

Estne Sigillū nudū Secreti, quod alicui commissum est, necessariò celandū?

*Quæstio
XXVIII.*

Respōsio.

Maximè, aliquot de causis:

PRIMO, quia iure naturæ tenemur proximum in fama non lædere. Iam si Sigillum Secreti temerè violaremus: continget sepe numero proximum suæ existimationis pati detrimentum.

SECUNDO, quia de iure naturæ tenemur

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

nemur esse fideles, seu fidelitatem proximo seruare; hanc autem non seruat, qui reuelat arcana sibi ab amico commissa.

TERTIO, quia de iure naturæ tenemur seruare promissum; sed in Secreti commissione semper, vel tacite, vel expresse interuenit promissio eius, cui Secretum committitur, aliò qui non ipsi committeretur.

Questio
XXIX.

Nunquàmne licet Sigillum nudè Secreti reuelare?

Respõsio.

Licitum est huiusmodi Sigillum aliquando reuelare, quando videlicet eius celandio vergit in perniciem Reipub. aut salutis corporalis ipsius committentis, aut eius, cui committitur, aut alterius. Huius limitationis ratio est clara, quia in his casibus, in quibus non potest aliter præfatis damnis obuiari, nisi reuelando Secretum, cessat obligatio celandi.

Nec rationes, quæ in contrarium adduci possunt, vllam habent vim, quia fama proximi postponenda est salutis Reipublice, aut alicuius alterius, maxime rei spiritualis. Fidelitas autem tunc nõ obligat; quia non dicitur quis perfidus per hoc, quòd arcanum reuelat simpliciter; sed per hoc, quòd temere, & sine causa cogente reuelat.

Promissio etiam tunc cessat; quia nemo potuit se per promissionem cõtra Reipublicam

cam obligare, aut cōtra salutem corporalem, aut spiritualement alicuius, ad quā charitas ipsa obligat.

Quomodo differūt Sigillum Secreti cōmissi, & Sigillum Confessionis.

Quæstio XXX.

HOC interest inter Sigillum Secreti commissi, & Sigillum Confessionis; quia hoc in nullo casu potest reuelari, saltem formaliter, dicendo per Confessionem hoc vel illud scio, nisi habita expressa licentia confitentis: Secretum verò nudum cōmissum, saepe potest reuelari ob causam cogentē, sine licentia committentis.

Responsio:

CAPVT VIII.

De Modo confitendi DEO.



VM interiorem peccatorum Confessionem, quæ soli DEO fit, vtilem, et necessariam esse poenitenti, tū etiam piis omnibus, olim plurimum curæ fuisse, circa initium capituli secundi, per quæstiones plures clarissimè probatum sit; placet in gratiam eorū, qui coram

O 3 DEO

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

nemur esse fideles, seu fidelitatem proximo seruare; hanc autem non seruat, qui reuelat arcana sibi ab amico commissa.

TERTIO, quia de iure naturæ tenemur seruare promissum; sed in Secreti commissione semper, vel tacite, vel expresse interuenit promissio eius, cui Secretum committitur, aliò qui non ipsi committeretur.

Questio
XXIX.

Nunquàmne licet Sigillum nudè Secreti reuelare?

Respõsio.

Licitum est huiusmodi Sigillum aliquando reuelare, quando videlicet eius celandio vergit in perniciem Reipub. aut salutis corporalis ipsius committentis, aut eius, cui committitur, aut alterius. Huius limitationis ratio est clara, quia in his casibus, in quibus non potest aliter præfatis damnis obuiari, nisi reuelando Secretum, cessat obligatio celandi.

Nec rationes, quæ in contrarium adduci possunt, vllam habent vim, quia fama proximi postponenda est salutis Reipublice, aut alicuius alterius, maxime rei spiritualis. Fidelitas autem tunc nõ obligat; quia non dicitur quis perfidus per hoc, quòd arcanum reuelat simpliciter; sed per hoc, quòd temere, & sine causa cogente reuelat.

Promissio etiam tunc cessat; quia nemo potuit se per promissionem cõtra Reipublicam

cam obligare, aut cōtra salutem corporalem, aut spiritualement alicuius, ad quā charitas ipsa obligat.

Quomodo differūt Sigillum Secreti cōmissi, & Sigillum Confessionis.

Quæstio XXX.

HOC interest inter Sigillum Secreti commissi, & Sigillum Confessionis; quia hoc in nullo casu potest reuelari, saltem formaliter, dicendo per Confessionem hoc vel illud scio, nisi habita expressa licentia confitentis: Secretum verò nudum cōmissum, saepe potest reuelari ob causam cogentē, sine licentia committentis.

Responsio:

CAPVT VIII.

De Modo confitendi DEO.



VM interiorem peccatorum Confessionem, quæ soli DEO fit, vtilem, et necessariam esse poenitenti, tū etiam piis omnibus, olim plurimum curæ fuisse, circa initium capituli secundi, per quæstiones plures clarissimè probatum sit; placet in gratiam eorū, qui coram

O 3 DEO

Caput VIII. De Modo

Psalm. 31. DEO peccata sua ex animo agnoscere, sua-
que opera mala cum ingenti cordis dolore
damnare, & exemplo Dauidis dicētis: Con-
fiteor aduersum me iniustitiam meam Do-
mino, & tu remisisti impietatē peccati mei,
misericordiam DEI querere cupiūt, aliquot
formulas vnam aut alteram, ad quarū præ-
scriptum, pœnitens DEO confiteri possit,
hisce subiicere.

PRIMA FORMVLA Confitendi DEO.

*In qua pœnitens, qui se mole peccatorū
nimis pressum sentit, multitudinem, et
grauitatem suorum peccatorum de-
plorat, Deiq; misericordiam
flagitat.*

HEV mihi inſœlix anima, in tantis pec-
catis, in tantis periculis criminum, in
tā multis iniquitatibus, quid primū plo-
rē? quid primū plangā? quos luctus prius,
quas lachrymas fundam? Non ſufficit refer-
re memoria tantorum criminum gesta. Pec-
cata quoq; mea mihi ſenſum doloris tulerūt.
Obriguit animus, nullo mœrore compun-
gitur. Anima mea in ſtuporem conuerſa eſt.
Inſenſata facta eſt anima mea.

O la-

cam obligare, aut cōtra salutem corporalem, aut spiritualement alicuius, ad quā charitas ipsa obligat.

Quomodo differūt Sigillum Secreti cōmissi, & Sigillum Confessionis.

Quæstio XXX.

HOC interest inter Sigillum Secreti commissi, & Sigillum Confessionis; quia hoc in nullo casu potest reuelari, saltem formaliter, dicendo per Confessionem hoc vel illud scio, nisi habita expressa licentia confitentis: Secretum verò nudum cōmissum, saepe potest reuelari ob causam cogentē, sine licentia committentis.

Respōsio:

CAPVT VIII.

De Modo confitendi DEO.



VM interiorem peccatorum Confessionem, quæ soli DEO fit, vtilem, et necessariam esse poenitenti, tū etiam piis omnibus, olim plurimum curæ fuisse, circa initium capituli secundi, per quæstiones plures clarissimè probatum sit; placet in gratiam eorū, qui coram

O 3 DEO